

STVM copiose effusa, quam non poterant veteres sine nobis N. T. incolis consequi. Desiderarunt enim diem CHRISTI videre, neque videre tamen poterant. Luc. X, 24.

III. Ex Apoc. VI, 9. II. *ubi quiescunt animae sub altari, non triumphant in coelo.*

*Resp.*

Quiescere non est priuari gloria essentiali, sed eadem quidem secundum animam frui, verum secundum corpus patienter expectare, donec tempus a DEO destinatum adueniat, in quo cum corporibus iunctae consummatam gloriam accipiant. Quemadmodum consuetudo erat, ut corpora martyrum sub altari sepelirentur, ita et animae in quiete positae sunt.

IV. *Ex omnium singulorumque patrum consensu.*

*Resp.*

- 1) Ex hoc ipso patet omnes singulosque patres errare posse, neque consensum patrum esse principium theologicum. Confitentur hunc errorem catholicum in patribus ex Pontificiis STAPLETONVS et SIXTVS SENENSIS.
- 2) Plerorumque, non omnium simpliciter patrum hic error fuit. Non defuerunt etiam, qui veriore sententiam traderent.
- 3) Nec fuit haec sententia patrum constans, nec sine vacillatione. Viderunt enim nimis manifesta in Sacris loca, quae beatitudinem statim homini post mortem adscribunt, utpote Philipp. I, 23. Apoc. VII, 4. sq. XIV, 13. Io. V, 25. Vnde nonnunquam receptaculo illi